Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 257

Quelle:
Copyright:



*tres predicatores* ab *arcium et sacre theologie professore*, *ecclesie quoque collegiate sancti stephani ibidem canonico Jodoco weiler de hailprunna*, qui inter annos 1433—47. ter Rectoris Academici munere functus, a. 1457. vitam clausit, complectitur Scholastica in D. *Matthaei Evangelium Commentaria* hoc ingressu: *Lecturus evangelium beati Mathei statui aliqua prenotanda. Evangelium grece latine interpretatur bonum nuncium* &c. Praeloquium, in quo etiam *Mohammedis* circa *Christum* errores impugnantur, excipit Expositio *Prologi* Hieronymiani: *Matheus ex iudea sicut in ordine primus* &c. Demum Commentaria, sed non nisi in priora IV. *Capita* II. *fol.* 53. sequitur *Tabula questionum evangelij Mat.* Textu cursorie exposito in Loca ejus praecipua differitur ex omni Theologia, et quidem e dictis IV. *Capitibus* usque ad *fol.* 245. p. 2. Deinceps vero e *Capitibus* etiam hoc *Codice* non expositis Quaesita moventur, quae non raro in integros Tractatus abeunt.

## CLXXIII.

U. 142 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 332. f. eodem modo scriptus, ab eodemque legatus *Collegio ducali* est aliud Exemplum *Commentariorum in D. Matthaei Evangelium*, sed usque ad C. XII. progrediens. *Fol.* 130. p. 2. ad calcem C. V. legitur: 1448. *14. nouembris. Fol.* vero 325. habetur *Registrum contentorum in expositione euangelij S. Mathei*, et quidem totius. In anteriore Theca notatur: *Anno domini 1433. ultimum hujus temporis lacrimosi diem Venerabilis theologie professor, cujus ingenij excellentiam nullus reor excessit, Magister Nico. de dinkelspuechl feliciter, speramus, terminauit.*

## CLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 138 Folior. 327. f. ejusdem cum praecedente rationis *Commentaria* operosa et solida *in Evangelium Matthaei* a. C. XII. ad calcem perducit. *Fol.* 318. subjecta est brevis Historia *Vitae Christi* e IV. Evangelistis industrie conflata, quae incipit: *In principio erat verbum* &c. et finit: *sedetque a dextris patris dei. Marc. ult. Luc. ult.*

## CLXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 139 Folior. 328. f. ad praecedentem *Jodoci Weiler de Heilbrunna* Collectionem pertinens est *Pars II. Quaestionum in Matthaeum*, *Parte* I. jam superius relata. Etiam in hac Parte non proceditur ordine Capitum, et ex omni Theologia, maxime vero Morali, disputatur. Quaestio ultima est *de Mendacio* in illud C. V. 37. *Sit autem sermo vester* &c Ad ejus calcem: 1448. *in Die S. Bonifacij.* A *fol.* 281. varia adjunguntur: Tractatus *de Luxuria*, brevis Institutio de examinandis pro sacro tri-